

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ara nuptialis...

Albrecht, Bernhard

Augustae Vindelicorum, 1633

[urn:nbn:de:bsz:31-131559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-131559)



~~Zurh 484~~

Kastalt 51

ARA NVPTIALIS
Pro
FELICI SVCCESV
ΔΕΥΤΕΡΟΓΑΜΟΥΝΤΟΣ

Admodum Réverendi & Clarissimi Viri,
Dn. M.

BERNHARDI ALBERTI,
Ecclesiæ ad Crucis Augustanæ Patriæ Pastoris,
& Ministerij Ecclesiastici Senioris dignissimi,

Cum

Honoratissima virtutumq; luminibus Ornatissima
Matrona,

SVSANNA MVR AUERIN

IV. Idus Octobris, styl. N.

ANNO

M. DC. XXXIII.

Ευφημοῖς votivis ædificata & consecrata,

à

Sacro & Literario Ordine,



AVGVSTÆ VINDELICORVM.

Typis Iohannis Prætorij,

(1633)

D. Aurel: Augustinus Hipponensis Episcopus,

Libr. de bono Conjug. contra Iovinianum, Cap. 3.

Tomo 6. p. 948. Lit. G.

Bonum ergo Coniugij quod etiam Dominus in Evangelio confirmavit, non solum quia prohibuit dimittere uxorem, nisi ex causa fornicationis, sed etiam quia venit ad nuptias, cur sit bonum merito queritur. Quod mihi non videtur propter solam filiorum procreationem, sed propter etiam naturalem in diverso sexu societatem: Alioquin non iam diceretur coniugium in senibus, praesertim si vel amisissent filios vel minimè genuissent: Nunc vero in bono licet annoso coniugio, & si emarcuit ardor aetatis inter masculum & feminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum & uxorem; quia quanto meliores sunt, tanto maturius à commixtione carnis suae, pari consensu se continere caeperunt, non ut necessitatis esset postea non posse quod vellent, sed ut laudis esset primum noluisse quod possent. Si ergo seruetur fides honoris & obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu, etiam si languescantibus & propè cadaverinis virisq; membris, animorum tamen ritè coniugatorum tanto sincerior, quanto probatior, & tanto securior, quanto placidior castitas perseverat.

AVGVSTVS VINDLICORVM

Z✓



I.

NON ita cum pridem Sponsalia vota pararem
 Filiolæ Genero cum Daniele Fabro.
 Optâsti viduo sociam mihi, Sponse, Rebeccam
 Leniat vt vitæ tædia multa meæ.

Hoc votum ingratâ, dixi, non mente recuso
 Verùm aliquando tuum pondus habere precor.
 Sed tibi cum contrâ Patriarchæ optata Kethura est
 A me absit, dixti, porrò senilis amor.
 At Venerande Senex annon mutatus ab illo es?
 Non. pro Kethura nam tibi Sponsa Sara est.
 Te precor ergò senem Sara tractet ad instar Abrahæ
 Vt videas vitæ secula multa tuæ.

Secretum cætera in aurem.

Vnum est quod moneam, trinis hoc gurgite merfis
 Vt caveas quarto ne numerere loco.

Εὐφρῆνας ἔνεκα

à

M. Iohanne Conrado Gœbel,
 Pastore & Seniore ad
 D. Annæ.

II.

FLUCTUS nos equidem trudunt, at fluctibus istis
 A nostro facta est, iam cataraeta Deo.
 Fluctibus in patriis, est experientia testis,
 Quæ fluctus vidui terminum habere docet.
 Ab utinam tandem magnus Marvortis abyssus
 Finibus in nostris colon haberet idem.
 Tu venerande Pater, baculum quarendo senectæ
 Coniugij in Domino iam nova fœdera inis.

A 2

21

iscopus,
 Cap. 3.

in Evangelio
 tere vocem,
 nit ad nuptias,
 ni non videtur
 naturalem in se-
 ngium in se-
 ut: Nunc ve-
 inter masculu-
 tum & vxo-
 ctione carnis
 ita efficit postea
 e quod possent.
 biturum ab al-
 o viris, mem-
 , quanto proba-

*Ab quod erit nobis in tanta clade bacillum
Ne Dominum prater nemo iurare potest!
Ipsius auxilium sancto solamine plenum
Ni subvenisset tristibus Alpicolis,
Esset de nobis actum iam fluctuum abyssus
Pastorem & teneras abripuisset oves.
Gratulor hinc equidem Socero nunc vota secunda,
At simul Alpicolis vela secunda precor!*

*M. David Stendlinus Campidon. Eccle-
sia Pastor, Venerandi Sponsi Gener-
ceu Filius.*

III.

Iam cœleste pijs tollite laudibus
Numen, seu precibus, seu fuerit lyra:
Quod vestros animos ænea sub juga
Misit coniugij sacri.
Quos summus genitor iunxit amabili
Vinclo, non poterit centimanus gigas
Vnquam, vel stygio rumpere robore:
En quantus Dominus tori!
Factus Tartarei mancipium lupi,
Nos capros redimens sanguine proprio,
Annon & thalami nectare nobili
Christus fœdera consecrat?
Tædas æthereus coniugij fovens
Flatus, flammifero numine roborat:
En quæ dona tori? dona tori, scelus
Ingens, qui violat sacri.
Vos binos etiam coniugij **D E V S**
Coniunxit thalamo: dulcis adest amor:
Concessus recreat pectora suaviter:
Inconcessus amor nocet.

Ad

Ad Cœli precibus tollite sidera
Voces, atque oculos tollite blandulos:
Iræ nam cohibet frena DEVS suæ,
 Si fertis placidas preces.
Cœlum Patria sit, Patria sit polus:
Sic cœli, Patriæ sic Dominus dabit
Concordes thalamos, progeniem piam:
 Et lites abiget malas.
Sanctas CHRIS TE facer flecte rates tori
Ceu Tiphys; pelagi ne tumidi furor
Nec venti noceant; fida queant poli
 Tandem littora tangere.

Euφραίας ἐβραῖα

scripsit

M. Elias Ehinger 27. Sept. 1633. ♂

IV.

Quæritur an liceat transire ad vota secunda?
Presbytero in primis, quæritur an liceat:

Hic ait, ille negat, plures in vère negatum,

 Quondam non aequi coniugij facibus.

Vnius uxoris sit episcopus ille maritus:

 Irreprehensibilis sit quoq., non fuerit:

Qualem descripsit Tharsensis Apostolus olim:

 Nec lex ulli piis vota secunda negat.

Hanc igitur litem præsentis tempore noster

 Exemplo dirimit Theologus ipse suo.

Petrus Meiderlinus

V.

Si mihi non deflere datum est pia funera matris,

 Sed potius vivi fata dolere Patris.

Cur non gratarer nunc vota secunda Parenti,

 Cum videam ipsius fata levata facis.

A 3

Ec

Ad

Ermatri atq̄ue Patri, in cœlo terraq̄ue benignè
 Consuluit Dominus pro bonitate sua.
 Illa malis etenim cunctis erepta triumphat
 Æternâ gaudens prosperitate Poli.
 Hic verò senij baculo defixus inhæret
 Et vitæ miseræ fert patienter onus.
 Ah vtinam, dilecte Pater, mea functio ferret
 Quò possit baculus natus & esse tibi.
 Sed quocunq̄ue vocat numen cœleste sequendum est.
 Corpore si præsens non ero, corde tamen.
 Nec tantum corde, & precibus quoq; dulce bacillum
 Vel baculus fortis, dante Deo tibi ero.
 Hinc etiam supplex Domini provolvor ad aram
 Atque Patri ex animo vota secunda precor.

M. Georgius Albertus, Ecclesiæ
 Geilendorffens. Pastor, & Lym-
 purgicæ Diœceseos Superinten-
 dens, Venerandi Sponsi, Filius.

VI.

SANCTE SENEX (quanquàm meritis, quàm tractibus avi
 Sis Maior) repetis iurâ sacrata tori?
 Sic est; nec fugiat quenquam, sed fama per urbem
 Dicit, lux tandem proxima testis erit.
 Quàm benè! Namq; Senex, cano Venerabilis ævo:
 Quiq; Tui curam nunc agat ecquis adest?
 Ergò, quum vitæ Sociû, curaq; carere
 Vix equidem posses, prospicis inde benè:
 Atq; aliam ducis, quæ fulciat vna labantes
 Aedes, quæq; fiet fida Columna domûs.
 Quod super est, Reverende SENEX; pulcrè omnia cedant!
 Utq; TIBI, utq; Tua sit benè, SANCTE SENEX!

SANCTE

**SANCTE SENEX, videas totidem Hæc, quot coniuge & illâ
Annos! Sic SENIOR, Sic ERIS ILLE SENEX!**

*M. Caspar Albeck, Ecclesi-
stes Augustanus.*

VII.

ANducenda Seni Coniux sit, quæritur. Hæc nã
Quæstio nonnulla est, dignaque quam memores.
Finis vtm quovis quod penditur, attendendus,
Sic in Coniugio pendere eum decet. Hem,
Quis fidæ sociæ vitæ indigus est mage, quam qui
Confectus Senio? Non habet ille alium,
Cui rectè fidat, connubio quam sibi iunctam.
Huic dicit; Mihi Tu fida marita places.
Hic nec non alij fines lectique iugique,
In causa sunt, cur & Senior Gravis Hic,
Cui nostra hæc Musa applaudit, transire volebat,
Perfunctus primis, altera ad Hymenæa.
Hoc quoque Coniugium sit felix Nomine Iovæ,
Qui Autor Coniugij, Coniugum amans validè.

Potest heic consuli M. Anto-
nij Maioragij oratio, in nuprijs
Iacobi Philippi Sacci, Senatus
Mediolanensis Principis, præsen-
te eodem Senatu habita; in qua
præter cætera, seni quoq; homi-
ni ducendam esse vxorem, mul-
tis rationibus probatur.

IN HONOREM
vt meritum ira debitum, Ad-
modum Reverendi D. Sponsi
ΔΕΥΤΕΡΟΓΑΜΟΥΝΤΟΣ,
enucleata
à
Danicle Hoëschelio M.

VIII.

Omnis in exemplo hoc nostræ stet causa sequelæ.
*Prisca virumq; cano, primâ qui coniuge mortis
Sic poscente Deo, letali false petitâ
Iusta piè solvens lugubri veste dolenda*

Non

SANCTE

Non magis ac animo funus, tandemq̄, relicto
Exanimi σκελετῶ, parili sibi fœdere iunxit
E vivis aliam. Legis non degener altæ
Sed cultor magnus Magni fuit ille Iehova.
Fecibus è populi neg, vir nec de male sana
Plebe licere sibi quicquid placet omne putante,
Exemplar verò Fidei, Pietatis, Amoris,
Vita regula, iustitia norma, & boni amissis,
Atq̄, Megistanum è numero fuit inclutus Heros.
Dixero si nomen simul & rem dixero vobis.
Est pius ABRAMIDES, qui dum fuit incola terræ
Agnoscens hominem se humano vivere more
Debuit ut voluit. Qua propter coniuge primâ
(Sarai cui nomen erat, quod Principe digna
Et Patriarcharum mater fuit, hincce vocata
A Domino Sara est, quæ sicut nobile præstat
Hespercum reliquis Sydis fulgentibus astris
Fœmineum sic illa chorum præcessit honore)
Sublatâ ex oculis hominum cælog, locata,
Angelico gaudente choro, reditumq̄, negante,
Quid faceret? frustra superas evadere ad auras
Tentasset repetendo suam de iure maritam.
Mox aliam ille viam longe prudentius istâ
Aggreditur sociam thalami ducendo secundam,
Sicut enim Domini referunt oracula summi
Non erroris erat species quod & ipse secunda
Fœdera coniugij pepigit cum matre Ketura
Illum natorum bis ter faciente parentem.
Non in eo senium potuit culparier altum,
Annorum tot quod, niveisq̄, comis, Patriarcha
Atq̄, Propheta Dei fuit, ut reliquum taceamus.
Omnis in exemplo hoc nostræ stet causa sequelæ.
ALBERTVS quod enim Senior, Pastorq̄, verendus

Mulsi

Multi iuga prolis pater, & veneratus honore
 A prima tatio, quanto Pater ille fidelis
 Torius populi à Sara est, petit ipse secundam
 Associare sibi graviori instante senecta,
 Exempli nil esse novi quicumq; videbit,
 Abramides nobis exemplar tale reliquit,
 Quod neq; Momus edax, neq; Zoilus invidus unquam
 Illa si rumpant poterunt reprehendere tuto,
 Quisquis id assequitur nobiscum dicere debet,
Omnis in exemplo hoc nostræ fiet causa sequelæ.
 Tu Deus Archi- Pater natorum quicquid ubiq; est,
 Qui iuveni atq; seni vires largiris abunde,
 Qui senio baculum, florem iuvenilibus annis
 Et sic his concedis ludicra, seria at istis!
 Fac sit ut ALBERTI senio no va nupta bacillum
 Quod tempus releuet miserum, munusq; gravesq;
 Officij curas, fragileq; in corpore vires.
 Discordes veluti fac sit caduceus omnes
 Ipsius ut prudente reconcilientur amere.
 Angelicâ quin ipse tuâ descende catervâ
 Et tuo Amatori veluti associare Keturam
 Non dedignatus quondam es, pariterq; Susannam
 Auspicio Pater alme, tuo nunc iunge Marito,
 Fons Albertiaci qui stemmatis atq; propago
 Nobilis officio, virtute, decore, fideq;
 Exemplar Natis, Generis, turbaq; nepotum,
 Qui veluti rivi maiori ex amne fluentes
 Huc atq; extendunt illuc sua brachia aquosa
 Fluctibus & terram sic ne sterilecat inundant.

Omnis in hoc voto finitur tela loquelæ.

Reverendo Domino Cognato, Parentis instar honorando
 plurimum, Honoris & observantiæ ergo conscriptum,

M. Iosua VVegelino, in Patria ad Minoritas Au-
 gustano- Evangelicos Archidiacono.

B

IX. Vnde

IX.

Vnde Tibi tanta est Senior Reverende potestas
 Dic quæso, vt reperas fœdera coniugij?
 Liber eras: iterum vinclo constringier arcto
 Cur vis? Quid cessas, candidus eloquere?
 Quod si T V T E files, mihi, si licet, eloquar ipse,
 Hoc tibi ius cœli conditor ecce dedit.
 Exemplo posuit Patres bigamos tibi multos:
 Numquis, quod culpet, si hosce sequaris, habet?
 At si quis carpent factum hocce, obiecta resolvet
 Firmiter ex sacris concio nostra brevis.
 Interea thalamum felicia Fata secundum
 Hunc iam fortunent, opto, Verende Senex.
 Sint opto Vobis sint mitia Fata per omnem
 Vicam, dum tollat vos simul vna dies.

Ita Vovet Leonhardus Pufseneggerus,
 Aug. Dni. Sponsi Diaconus.

X.

Cum merito tibi Mysta sacer gralentur amici,
 Certatimq; omnes prospera vota ferant.
 His me a iungo, & de toto tibi pectore grator,
 Felix & blandum sit tibi coniugium:
 Nuptaq; quas obitus socia effecere prioris,
 Detergat lachrymas, letitiamq; parat.
 Ipse Deus thalami qui sanxit fœdera casta,
 Capta secundet nunc omnia ubiq; tibi,

ἔλωφύχως gratulatur
 M. Iacobus Baumeister Aug.
 Ecclesia ad S. Georg.
 Diaconus.

XI.

SI Te Castalijs vacare Musis
 Et voriva gamelicæ dieclæ
 Quæ dat Aonidum chorus, videre
 Verba pellepidi finunt amores:
 Hunc, qui cuncta dabit sacrata verba
 His sacris, lege per brevem phaleucum:
 Sint primis similes tuæ secundæ.

M. Israël Nischelius Diacon.
 ad Minorit.

MAGISTER BERENHARDVS ALBERTVS DENUO SPONSUS.

Anagram:

**RES, VIRTUTES GLOBES, RESPONDENS
 NV DVS ABRAHAM.**

RES cum VIRTUTESq; GLOBES, Senior Venerande,
 Esse potes merito RESPONDENS NV DVS ABRAHAM,
 Ille etenim quondam virtutum lumine clarus,
 Res alias inter dignas memorentur ut vsq;
 Hoc etiam fecit viduus quod coniuge primâ
 Ad thalamum in senio voluit transire secundum.
 Hic verò parili virtutum lumine fulgens
 Ad thalamum in senio pariter transire secundum
 Tentando, annon conveniens anagramma putabis?
 RES cum VIRTUTESq; GLOBES, quod dixeram ad illum
 Esse potes merito RESPONDENS NV DVS ABRAHAM.

M. Paulus Jenisch Diac.
 ad Minorit.

XIII.

Linguâ Mome quid hîc carperelividâ
 Audes? Num quia habens iam niveas comas
 Sponsus, coniugij se
 Sacro iure novi alligat?
 Carpas Mome cave hunc; ni & veteres velis
 Patres carpere, quos noster habet duces,
 Sanctâ quos imitatur
 Vitâ, par quibus est fide.
 Vin' plures memorem? Haud est opus: Vnicus
 Abras sufficiet: par Senior cui
 Noster sorte, toro que est.
 Sanctus vitâ Abraham est: **DEO**
 Gratus: clarus & hinc coniugio **SARÆ,**
 Vitâ quæ miseræ tædia dispulic
 Quævis, iusta viro que
 Charo munia præstitit.
 Nec semper tamen hæc fors stabilis fuit:
 Telis icta Sara heu! terribilis Necis
 Expirat gravis annis,
 Mœstum Abram in viduo toro
 Linqvens. Luxit is ad tempus: ad alteras
 Pulsâ tristitiâ pergere nuptias
 Cœpit, mox que **KE TV RAM**
 Duxit iam gelidus senex.
 Alberti pietas digna quoque est suâ
 Laude: est grata **DEO:** dulcis **Iudithæ**
 Olim sanguine cretæ
 Sauteri & thalamus fuit.
 Sed quid? Mors etiam parcere nescia
 Nostro falce suâ sustulit ah seni
 Costam! Funera luxit
 Mœstus tristitia sat diu:

Iam

Iam (cum, quis neget id? plura senem vrgeant)

Cum castâ thalami fœdus init novum

Matronâ hâcce, prioris

Castè quæ officium expleat.

Carpes Mome? Cave: quin potiùs bona

Mecum illi ex animo quæque precaberis.

Nam qui est æmulus Abræ

Dignus laude pij est senis:

Et verè paribus dignus honoribus.

Ergò non minus ac olim ABRAHÆ TIBI

Fausta hæc fœdera lecti

Vt sint, cum reliquis precor.

Ἐκ τῆ παραχρῆμα fund.

Iohannes Geiger Augustanus
Gymnasij Patrij Præceptor.

XIV.

Vota quid expectas Senior reverende? Mea unam
Adiunctum reliquis Distichon ecce dabit.

Coniugium hocce novum ex aquet dulcedine primum

Comprecor; aut vincat, dicere fas ubi eris.

Ita

Vovet animitùs

Iohan. Georg. Friderich

Gymnasii ad D. Anna

Præceptor:

B 3

XV.

M. BERNHARDUS ALBERTVS
SVS ANNA M V R A U E R I N .

Anagram &c.

XV.

ARrha lubensne Eurus mannam rursus dabit? Ecce,
Qui viduo moestus vixit sine compare lecto,
Dat flatu mannam rursus tibi Cælicus Eurus.
Dat flatu mannam, quæ sit venerabilis Arrha:
Dat flatu mannam, quæ sit ceu Casta Susanna.
Arrha maritus erit: Coniux erit aurea manna.
Manna fiet nobis semper venerabilis Arrha:
Arrha maritus erit fidus, dum vita manebit.
Casta Susanna fiet nobis suavissima Costa:
Costa bacillus erit Senio virtute decorus.
Eia age pro tanto magnæ sint munere grates
Christo, qui Sponsis Arrham, mannamque creavit.
Is nobis adsit nunquam non Flamine Sacro,
Cœlesti ut mannâ tandem vescamur in ævum.

*Humilima observantia
ergo cecinit*

Otto Christophorus
Bodenburg.

XVI.

A Stripotens Fautor semper fuit, Auctor & inde
Respicens sancti vincula Coniugij.
Quod satis exemplo Christus testatur abunde,
Dum subito in vinum flumina vertit aqua.

Hinc

ERTVS
RIN.

Hinc e' iam luctum viduum convertere novis
In letum thalamum coniugiumq; novum.
ALBERTVS quod & expertus, Senior Reverendus,
Defunctâ primâ quem nova nupta petit.
Nomine BERNHARDI dignus, devotus & ipse est,
Zelus in hoc magnus, nomen id omen habet.
Regnat in hoc Pietas, toto gratissima cælo,
Atq; habet excelsi dona benigna Dei.
Quare cum rursus Sponsam sibi iungat amatam,
Conservet Deus hoc stabile coniugium.
Ille dei ut possint annos consumere pace,
Atq; queant salvi vivere Nestores.

Gratulabundus adiecit
Immanuel Hæschelius Aug.
Colleg. Alumnus.

stophorus
enburg.

Him

